

P R A E F A T I O.

Etanda fuit ob varietatem materiae. Nam si de officio singulorum auditorum, puta patrum familias, matrum familias, liberorum, herorum, seruorum, coniugum, agricolarum, opificum, mercatorum, magistratum, subditorum, typographorum, professorum, aduocatorum, & similiū scribere aggressus fuisset, integrum obseruationum syluam congerere necesse habuissem. Quam quidem diligentiam nimiam futuram fuisse facile intelligent, qui ex generalibus præceptis & regulis cuilibet politiae ecclesiasticae applicatis fœcundissimam obseruationum practicarum messem oriri perspectum habent. Videamus iam usum huius laboris, qui quidem est geminus. Nam præcepta & regulæ sunt faces intelligentiae & bases reminiscientiae: promtuarium vero concionum est insigne praxis ecclesiasticae adiumentum. Quid enim? Si concio sit habenda, candidatus ministerii, vel etiam minister non usquequa exercitatus, imo etiam exercitatus, potest recurrere ad quatuor nostras classes, & inde sumere non tantum materiam, sed etiam formam concionis sacræ, hoc modo: Conciones pertinentes ad librum naturæ seu theologiæ naturalem, item Catecheticæ & locorum communium, ita sunt comparatae, ut ad varios textus applicari possint. Conciones dominicales, funebres, & similes facile inuenientur, si habeamus textum. v. g. si velis habere concionem dominicalem Dominica prima